

pronoti sat acuto; vertice oculo $\frac{4}{5}$ (σ) vel duplo latiore; ochraceum vel sordide flavo-testaceum. Oculi majores, fuscii, maris in genas longissime, feminae etiam sat longe extensi. Rostrum coxas posticas parum superans. Antennae sordide testaceae, nigropubescentes, articulis duobus ultimis fuscis. Pronotum basi longitudine $\frac{3}{4}$ — duplo latius, apice longitudine fere angustius (σ) vel hac paulo latius (φ), sordide ochraceum, disco postice leviter griseescens. Scutellum unicoloriter ochraceum. Hemelytra nigricantia vel fuscescentia, limbo laterali, commissura, sutura clavi, vena cubitali cuneoque sordide ochraceis vel testaceis, clavi igitur disco vittisque duabus latis corii nigricantibus; membrana cum areolis fumata, venis albidis, areolae majoris parte exteriore plerumque pallidiore. Pectus et abdomen sordide testacea vel ochracea, hoc maris medio fuscescens. Pedes colore corporis, nigro-pubescentes, femoribus punctis destitutis, tibiis spinulis nigris armatis, tarsis fusco-nigris.

13. *Macrocoleus femoralis* REUT.

Diagnosis.: Virescenti-luteus, subtiliter albicanti-pubescentes, superne verisimiliter pilis nigris adspersis (an pilae haece in exemplo detritae?); antennis pedibusque subtiliter nigro-pubescentibus, femoribus atomis fuscis dense conspersis, tibiis nigro spinulosis, tarsorum articulo ultimo nigro-fusco; hemelytris flavescenti-fuliginosis, limbo laterali basin versus pallido; membrana cum areolis obscure fumata, venis pallidis, flavescentibus, macula ad apicem cunei hyalina, arcu infra apicem areolarum illarumque venas terminante et macula majore ad limbum laterale nonnihil hyalinescentibus. Long. φ $3\frac{1}{4}$ mm.

Hab. in Alsacia!, D. REIBER.

Descr.: Species colore femorum ab omnibus affinibus mox distincta et *Macrotylo Horvathi* REUT. simillima, multo autem minor, capite multo breviore, signatura membranae structuraque ungaviculorum ab illo longe divergens. Corpus ovatum (φ), virescenti-lutescens, opacum, subtiliter albido-pubescentes et superne adhuc pilis nigris facilime divellendis praesertim in hemelytris positis et plerumque saltem in cuneo dignoscendis. Caput (φ) latitudine postica pronoti tantum $\frac{1}{4}$ angustius, latitudini posticæ longitudine subaequale, a latere visum altitudine circiter tantum $\frac{1}{5}$ longius; vertice oculo $2\frac{1}{3}$ latiore; lutescens, hic illic virescens, apicem versus pilis nonnullis nigris. Rostrum medium ventris attingens, flavescens, articulo primo virescente, ultimo apicem versus piceo. Antennae flavae, subtiliter nigro-pubescentes, articulo primo ipsa basi virescente, apice setis 2—3 nigris, secundo pronoti latitudini basali fere aequo longo. Pronotum basi longitudine tantum paulo magis quam dimidio latius, apice longitudini latitudine subaequale, disco apicem versus leviter declivi, lateribus rectis; lutescens, basin versus, ut scutellum, lutescenti-virescens. Hemelytra flavescenti-fuliginosa, limbo marginali basin versus basique venae cubitalis pallidis; membrana obscure fumata, areolis concoloribus, venis flavescentibus, ad apicem cunei macula parva hyalina apicem areolae minoris attingente, postice a striola transversali nigricante terminata, mox pone hanc striolam macula oblonga majore intus cum arcu infra apicem areolarum posito